

DEDICATORIA.

philologiam quoque copi se explicabo) si quādo illum huic adijcere, aut seorsim edere dabitur, obseruare statui. Hoc verò in libro, (qui rerum fossilium, hoc est, metallorum & lapidum in primis, figuras exhibet) similitudinū & imaginum, quas ipsa genitrix Natura in rebus tam varijs veluti pingendo expressit, consideratione oblectatus, ipsos etiam Naturæ gradus ac ordines, sequi volui: hoc est, à simplicibus dimensionum ac figurarum principijs, & lineamentis primis Opus auspiciari: inde verò ad ipsa corpora simplicia primùm, vt cœlum ac elementa, ab hisce rursus ad cōposita ex eis, Meteora, Plantas, Animalia transire: & in singulis quæ ab eis denominantur, aut aliquam eorum similitudinē habent, fossilia enumerare: atque à cœlo & cœlestibus paulatim ad terram & quæ in ipsa aluntur viuuntq; aut vigent corpora descendere: id quod physicorum est, dum ratione & sensu interiore omni scrutantur Naturam: Theologorum verò, imò piorum hominum quorumuis, intelligentia melior, quam mentem & spiritum appellamus, ne in hoc descensu anima